Commentatio brevis
De Partium quarundam corporis humani coruptarum ac eradicatarum regeneratione ac restauratione
à natura sua sponte, arte tamen adjutrice facta.

qua, occasione exempli rarioris, dijudicationi Illustris Academiæ Reg: Chirurgicæ Parisiensis submissâ, Manibus Generosissimi Domini de Peyronie sacra facit Autor, cujus Symbolum: Proverb. XVI. 3. Directis ad Dominum operationibus feliciter succedent meditationes susceptæ.

Præfatio.

Articulationes in corpore humano luxari, et iterum reponi; ossa ipsa frangi, et iterum aduniri, est res facilis et usitatissima: Diagnosis vero utriusque affectus, jam ob ignorantiam medentis, jam ob patientis impatientiam non raro anceps et difficilis. Æger impatiens est, interdum ob mollitiem tam corporis naturalem, qua ætas puerilis, quam animi, ut exploratio necessaria, quæ interdum sine quadam duritie vix perficitur, non possit institui. Mirum igitur non est, si committitur error, et affectus unus pro altero

interdum habetur ac venditatur; sicuti ex recensendo casu apparebit utrumque.

Datur vero alius plane casus utrumque mentiens, quamvis ad neutrum eorum possit referri, qui dicitur: Epiphysium solutio, separatio, abscessio, aut etiam abscissio; Quando nimirum corona alicujus ossis, pars extrema, jam rotunda, jam cylindrica, jam concava, à parte oblonga, aut corpore ossis ipso dejicitur aut detruditur, aut quocunque modo separatur. Accidere hoc posse in osse femoris, quippe in cujus cacumine, ubi attingit coxendicem,

non solum Epiphysis notabilis
posita est, sed et collum aliquod
satis longum adnatum, ad la-
tus tamen expor[r]ectum depre-
henditur, multi Autorum refe-
runt: Quod vero tale quid in
osse humeri fuerit factum,
haud frequenter legitur.
Luxata igitur reponi, ac
fracta ossa iterum uniri pos-
sunt parvo sæpius labore; sed
in Epiphysibus à quacunque
violentia dejectis restituen-
dis studium est periculo ple-
nissimum, et dubii eventus.
Imo magis dubium: corruptum
aliquod os, et ideo extirpandum,
aut jam extirpatum à natura
regenerandum expectare!

Quum nihilominus ultimum
hoc phaenomenon [rarissimum] aliquando con-
tigisse oculis viderim, imo
palpaverim manibus, ideo ra-
rius istud exemplum in usum
et imitationem artis chirur-
gicae referre, ac certum face-
re ausus sum. Os humeri ex
vulneribus extractum non sine
sumptibus depingendum curavi,
et sistitur inferius effigies.
Hac occasione simul aliorum
aliqua ratione comparandorum
casuum mentionem facere pla-
cuit; Quod ut aequi bonique
consulatur, obnixissime ro-
gitat Autor sub-
jectissimus.

D. Johannes Daniel Mittelhaeusser,
In aula Principum Weissenfelsa
regentium olim Medicus, jam
Regis Poloniae et Electoris
Saxoniae Physicus Provin-
tiarum Weissenfelsensium
constitutus. Manu pro-
pria hic meditata de-
Scripsit. Mense octobris
M. DCC. LXI.

Symbolum Autoris.
Proverb. XVI. 3. Directis ad
Dominum operationibus,
feliciter succedent medi-
tationes susceptae;
cujus appellationem
aperta haec chartula denomi-
nabit.

Q. D. B. V.

Os humeri contusum, progressa Inflammatione et Exulceratione Cariosum factum, per facta vulnera nova integrum extractum, eradicatum, ac sponte natura plenarie regeneratum. (a.)

Historia læsionis.

Puer petulans 12 et quod excurrit annorum, ex improviso præceps agitur ex scala aliquot graduum in pavimentum durius, allidens ad humerum dextri lateris graviter. (b.) Dum igitur motus hujus partis in axilla esset depravatus, status â Chirurgo indocto habetur pro luxatione, brachium enormiter extenditur, ad articulationem [uti opinatur ille] reponendam, et ita adeo irritatur ac lacessitur, ut Erysipelati porta aperiretur. (c.) Hæc Inflammationis præcipua species pertingit ad suppurationem,

ita, ut aliquot ulcera fistulosa orirentur, et consolidato uno foramine alterum mox sua sponte reganderetur. (d.)

De ita constituta ego mense Martio 1746 in consilium vocatus, inveni ægrum fere hecticantem, et Medicamentis debitis ordinatis, de ulceribus fistulosis sanandis judicabam: Quatuor jam præsentia minora foraminula in unum majus esse amplianda, dissectis marginibus et parietibus intergerimis, ut ad os procul dubio cariosum possemus pertingere, et, ubi legis esset, succurrere. Cui consilio proposito (e.) parentibus renuentibus, æger simul manibus pedibusque obstrepebat, reclamabat lacrymando. (f.)

Annuum fere spatium sub tractatione hujus ægri frustra consumtum erat, quare Chirurgi nostri urbani

laboris tanti inanis pertæsi re-
linquere minantur ægrum; ergo pa-
rentes, nescio an satis prudenti con-
silio, an ex desperatione, filium
Chirurgo cuidam castrensi seniori,
in pago degenti, alias satis exerci-
tato committunt, certum spondentes
premium pro cura atq victu per
aliquot menses, ac restitutione.
Hic Chirurgus meo quoq consilio am-
pliationem apertarum fistularum
furundis aliquibus tentat, atq etiam
ad os humeri pertingens diversis
instrumentis fragmenta ossea exi-
mere studet, satis præstantia; tan-
dem majus, uti putat, festucarum
fragmentum vacillare sentiens a-
gratoribus ex horreo accersitis, ægrum
fortè alligatum teneri jubet, et ampli-
ficatis cavitatibus, forcipe, rostro
latiori prædita, creditam festucam
apprehensam uno actu extrahit, non
sine notabili vi et doloribus. (o. /
Ecce autem! quanto percellitur terrore,
observans, integrum brachium vacillare,

hinc inde flecti, ac flaccidum, suo
fulcro orbum, in omnem plagam
posse reponi. Ideo accurrens ad
me ostendit, uti putabat, festucam
exemptam valde magnam, quam
integrum humeri os esse cognoscebam,
modo absque alias consuetis Epiphy-
sibus adhaerentibus, non tantum
in parte superiore, ubi cum scapu-
la articulationem constituit, sed
etiam inferius, ubi cum ulna co-
it, ubique carie inquinatum, nigre-
dine fere obscuratam. Vid. Effigies no. 1. 2.
Ne igitur brachium integro motu
privaretur, sed undique firmum
teneretur, deligationem aptam ap-
plicandam curavi; loco ferularum
adhibendo corium instar crassius
Russicum, germanico idiomate Juch-
ten, dictum, (h.) rubro colore tin-
ctum, spatio ulcerum et vulneris
noviter incisi libero relicto, ut mun-
dificatio vulnerum, parato accessu,
posset fieri, et deinde fasciae sunt

Crudum, ac perio-
steo suo destitutum,
aridum atque siccum

circumductae. Ita ineisum super vulnus intra spatium paucarum septimanarum, unguentis balsamicis, uti in partibus carnosis moris est, tractatum, consolidabatur.
Mox post extractionem ossis humeri observata est pauca hemorrhagia moderatusque dolor ortus; (i.) Quod utrumque post aliquot horas cessavit. Musculi humerum tegentes unguento nutrito camphorato illito fovebantur, et deligatio singulis tantum septimanis repetebatur, remotâ ac renovatâ ferula nostra coriacea.
Atque sic post aliquot septimanas intra illos musculos humeri, in cavitate nempe aut lacuna illa, ob exemtum integrum os facta, tactu percipiebatur species sive durities quaedam, et soliditas, (k.) qua pedetentim aucta ac firmata magis atque magis, exacto fere anni spatio, completa movendi potentia in bra-

da la mèta/

ctium integrum rediit, tanto ac antea fuit robore.

Ego partem nuper labefactatam, regionem scilicet humeri integram exploravi curatissime, palpavi, contrectavi, ac inveni completam osseam duritiem; Articulatio in humero non minus ac in ulna integra erat et sui juris, liberq; in omnem plagam motus praestandus redierat. (t.)

Juvenes restitutus partem sui corporis tam notabilem perpetuo secum gerebat, et demonstravit multis amicis, diversis quoq; Medicis, ~~non~~ m. sine admiratione rem actam perpendentibus; ac pluris quam centum florenis dignam aestimabat.

Mercaturae destinabatur nuperus eger, annum tunc 16. agens a parentibus, ipsi quoq; paucis annis interfuit; sed ~~Ea~~ [= hujusmodi] negotiatio nimi-

[...]um quieta ipsi videbatur; Igitur
ista relicta militiam sibi elegit,
ubi ab initio gregarius miles
fuit, sine labe arma gessit et exerce-
re potuit quævis; Tandem in genere
scribendi et arithmetica arte exer-
citatus F sub tormentariorum cohor-
te officium ducis inferioris ordinis
gessit, et adhuc hodie 1761. castra
sequitur sub saxonum vexillis pugnan-
tium, nisi forte, saltem omnibus
militibus infensum ipsi superveniat.

F mansionarius (factus), ac deinde

Resolutio.

(a)(a.)

In carnosis seu musculosis in cor-
pore partibus novum carnem
crescere posse, augeri illam, et cute
tegi, cingive, res est notissima;
in læsis et dedolatis F ossibus, cum
voluptate videmus: quam lepide ex po-
ris eorum micula carnosa, minimarum
glandularum instar pullulent, mox in

F seu sponte ex-
foliatis, [uti di-
citur in Chirur-
gicis]

carnosam, tam ergo osseam substantiam cute nova tegendam, abeuntes; unde quamvis ablatum non plenarie restituatur, attamen forma aliquantisper solet redintegrari. Hac ratione ossa fracta reuniuntur firmissime; ubi novum illius loci productum nominamus Callum, quoadeo firmiter concrescunt, ut postmodum facilius alio, quam hoc, frangi possint loco.
Haud raro ex ossibus sauciatis aut contusis, aliquid fungorum instar, procrescit, nisi cautius procedatur; quod augmentum nominamus Exostosin et Hyperostosin, a quo motus aut actio partis varium in modum depravatur. Idfit: si substantia illa, ex qua ossa alias fiunt, generantur, ac sustentantur, nimium luxuriat.
Hoc experientia quotidiana testatur; Num vero integra ablata in totum, aut alia ratione extirpata

sustentantur,

ossa in totum possint et soleant restitui, spatium q. vacuum resarciri, adhuc sub judice lis est, et ex(?) pendendum jam erit.

ad (b.)

Vehementissima contusione igitur affecta est integra regio humeri totius, non solum musculorum, sed etiam ossis subjecti, procul dubio! Imo probabile mihi videtur: Quod os oblongum a sua Epiphysi, quâ cum scapula et claviculâ conspirat, sub vehemente tali concussione et allisione fuerit separatum ac sejunctum, quasi per fracturam. Nam in hoc aegro in pueritia adhuc constituto, nondum firmius cohaeserunt.

ad (c.)

Ab iniqua hac extensione non solum os oblongum humeri â sua Epiphysi fuit detractum et separatum; sed etiam circulatio humorum in hac regione intercepta est, ut aliquibus fibris vasorum

laceratis, sit secuta extravasatio. Tale quid omnino accidit non solum in vulneribus, sed etiam contusionibus, quae dimidiata quidem, sed multiplicata quoque habentur vulnera. Elapsi sic ex vasis humores incoeperant fermentare, inflammari, et suppurari: Pus generatum acerrimum non solum deorsum, destruxit situm periosteum, et concretum cum ipso, et investitum ab ipso os humeri, sed etiam erupit tandem sursum, ad exteriora; perforando musculos, et formando ulcera fistulosa. Itaque os hoc oblongatum suo nutrimento privatum, ac a cohaesione cum aliis partium, ac[?] actionibus vitalibus solutum, corruptioni expositum, exaruit tandem emortuum.

ad. 1.)

Aliqui Medicorum ambigunt: Num ossa possint inflammari? Ego autem non dubito! Nam habent non minus

ac omnes alia partes diversa sicca vasa omnis generis; siquidem solertissimus Diemerbroek arteriolas vere pulsantes in illis conspexit. Vasorum illorum liquor contentus igitur stagnare ac fermentare potest; et ex fermentatione quavis oritur calor; qui nihil aliud est nisi Inflammatio. Quando igitur discussio non potest obtineri, suppuratio ocyus succedit. Pus in ossibus generatum prae alio magis foetidum esse solet, uti inter omnes Chirurgos satis constat; dicitur tantum in istis Caries; â qua deducuntur ad nigredinem, et tandem exsiccata plane emoriuntur, ut dedolanda veniant, et in foliis, uti dicitur, separanda.

Ad (e.)
In Chirurgicis perpetuae veritatis est: Nullam Fistulam aut cavernosum ulcus consolidari, nisi parietes callosi incidantur; Et signum ~~certissimum~~ certissimum: Si ulcera ejusmodi saepius recrudescunt, subjectum os esse cariosum.

Nisi igitur hoc aut à natura curiosius aurigante, aut ab arte per dedolationem, uti Chirurgi loquimur, remoreantur, nullam fundamentalem expectari posse curationem. Insuper febris hectica ex nulla alia ratione orta est, quam, quia particulæ quædam purulentæ ulcerum fistulosorum Massæ sanguineæ sunt admixtæ, quæ tanquam fermentum quoddam illam, febris in modum, exagitarunt.

ad (7.)

Contra voluntatem ægrorum ipsorum, aut proximorum agnatorum operationem quandam suscipere, Chirurgis ac Medicis non est concessum. Nam isti sunt sui corporis domini, Medici autem tantum consiliarii, qui illis renuentibus nihil debent audere. Ex flamma petere cibum prohibet Terentius. Eun. 3. 2. 38.

ad [g.]

Necessaria utiq erat hec extractio quidem, efficienda magna cum audacia et crudelitate amicabili chirurgica; Nihilominus existimo: Si Chirurgus satis, quidni dicam nimium cordatus, scivisset adhaerere integrum humeri os, uti postmodum cognovimus, quod vix ac ne vix quidem admovisset manum! Interim cum factum infectum fieri nequibat, de commoda ac adaequata deligatione, secundum artem, erat cogitandum.

ad [h.]

Aptius nihil certe inveniri potuisset nisi hujusmodi corium. Nam hoc erat instar mollioris bractea-menti, quo, suppositis mollioribus linteaminibus, pars brachii, humerus, flaccida facta omisso fulcimento, tota poterat circumdari, ac ita includi, ne ullo modo, ullamq in plagam amplius vacillare posset. Etaq expectanda

(ex unica lamina, eaq perpetua, conformata constantes,

erat solertiæ naturæ operatio, quam ob juventutem subjecti, et satis bonam, quoad reliqua, constitutionem, salutarem ac expectatam fore confidebamus.

ad t./

Hæmorrhagia ac dolor moderatiores fuerant; quia pauca tantum vasa sanguifera ossa intrant, et retecum os ipsum maximam partem gravit atq; emortuum fuit.

illis periosteum

ad/K./

Latissimus hic panditur campus dicendi de modo, et probandi possibilitatem restitutionis et regenerationis ossium integrorum abrogationis ossium integrorum ablatorum, aut alia ratione extirpatorum. De particulis quibusdam regeneratis, aut lacunis frustularum separatarum repletis, hic non est sermo, sed de integris ossibus eradicatis. Quo certius primum est, eo difficilius probatu

creditur alterum. Habemus autem hic exemplum omni exceptione majus; cui evolvendo conducit, et opus est, praemonere quaedam theoretica, physiologica ac pathologica, praeter ea, quae jam sunt dicta superius. Scilicet:
1. Notissimum est: omnibus ossibus elongatis et articulationem facientibus impositum esse in extremitatibus aut finibus, particulare ossiculum, coronulae instar, quod in Subjectis junioribus potest removeri et separari, in senioribus autem unitur accuratissimè, et ita accrescit, ut cum stirpe principali unum idemque os continuum esse videatur. Hocque vocatur termino technico Epiphysis.
2. Est jam rotundum et dicitur Capitellum, capitulum; jam concavum, et nomen gerit Acetabuli. Itaque semper et ubique in quavis articulatione quoddam capitellum jungitur et se insinuat alicui Aceta-

ib.

bulo. Et Epiphyses plerumque aut origi-
nem capiunt capita musculorum, aut
implantantur ipsis illorum caudae.
3. His ipsis Epiphysibus utriusque
generis, inserta sunt multa, eaque te-
nerrima subtilissima omnis omni-
no generis vasa Sanguifera, Serosa,
lymphatica, eorum autem tantum
lateralia quaedam, aut ramusculi;
imo nervi et tendines musculorum.
Sanguifera adducunt materiam pro
nutrimento ac augmento; Serosa et
lymphatica suppeditant linimen-
tum, ut facilius procedere possit
flexura, ac omnis reliquus motus;
qualem liquorem nomine peculiari
Synoviam nuncupamus; motum
laudatum nervi et tendines prae-
stare solent et intendere.
4. Jam determinandum erit: Quaenam
pars ossis cujusvis, Epiphysis
videlicet, aut os oblongatum, mox
in fiendo aut generatione ipsa pri-

Eades elongatum tendentia,

, altera sit prior, constituatque radi-
, principium, aut originem alte-
s. Scilicet: Num ex Epiphysi pro-
deat subjectum os elongatum cylindraceum;
an hoc sibi potius, ad ultimum, im-
at Epiphysin, veluti quandam
onam? Ego quidem eligo senten-
m priorem, et efflacere partem e-
gatam ex Epiphysibus existimo,
seb 3. indictas rationes. Est
tur quaecunque Epiphysis grani semi-
lis instar, quod ab initio, sibi ipsi
litis ingestisque in terram radici-
, tandem protrudit taleam atque
dicem; quamvis hae ipsae postea
longe majorem molem exere-
nt, ac ipsum fuit semen.
Particulae muci lacrimosae ac gela-
osae humorum tandem in cartila-
neam, imo osseam duritiem mu-
ntur.
6. Hanc ossis elongati renascibili-
tatem et recrudescentiam, [ut ita loquar,]
illustrant aliquo modo Tophi illi ac

18.

bulo. Ep Epiphyses plerumq autor[illegible]
nem capiunt capita musculorum, [illegible]
implantantur ipsis illorum caudæ
3. His ipsis Epiphysibus utrim[que]
generis, inserta sunt multa, eaq[ue]
nerrima subtilissima omnis om[ni]
no generis vasa, sanguifera, ser[osa]
lymphatica, eorum autem tantum
lateralia quædam, aut ramusculi
imo nervi et tendines musculo[rum]
Sanguifera adducunt materiam [pro]
nutrimento ac augmento; serosa [et]
lymphatica suppeditant linime[n]
tum, ut facilius procedere pos[sit]
flexura, ac omnis reliquus mo[tus]
qualem liquorem nomine peculia[ri]
Synoviam nuncupamus; motu[m]
laudatum nervi et tendines pr[æ]
stare solent et intendere.
4. Jam determinandum erit: quæna[m]
pars ossis cujusvis, Epiphysis
videlicet, aut os oblongatum, mox
in fiendo aut generatione ipsa pri-

Ea dos elongatum tendentia,

na, altera sit prior, constituatque radicem, principium, aut originem alterius. Scilicet: Num ex Epiphysi procrescat subjectum os elongatum cylindraceum; Num hoc sibi potius, ad ultimum, imponat Epiphysin, veluti quandam coronam? Ego quidem eligo sententiam priorem, et effluere partem elongatam ex Epiphysibus existimo, ob sub 3. indictas rationes. Est igitur quaeque Epiphysis grani seminalis instar, quod ab initio, sibi ipsi positis ingestisque in terram radicibus, tandem protrudit taleam atque caudicem; quamvis hae ipsae postea in longe majorem molem excrescant, ac ipsum fuit semen.

5. Particulae mucilaginosae ac gelatinosae humorum tandem in cartilagineam, imo osseam duritiem mutantur.

6. Hanc ossis elongati renascibilitatem et decrescentiam, [ut ita loquar,] illustrant aliquo modo Tophi illi ac

18.

Et infantum rachiticorum; | Nodi Arthriticorum, qui in articulationibus dolore vexatis, et potissimum in ossium Epiphysibus enascuntur, illisque superexcrescunt; sicuti illud quotidiana experientia docet. Scilicet: Quemadmodum hi ipsi tophi ex succis quibusvis, materiam arthriticam

aut rachiticam | continentibus, per varia vasa allatis, ex ipsis elapsis ac induratis, scirrhorum instar generantur, et augmentantur; Ita simile quid fere cum osse nostro oblongato accidisse probabile est. conf. no: 9.

7. Eadem fere ratione enascuntur naturaliter, aut abscissi per artem, aut amissi in morbo præter naturam regenerantur ungues in digitis manuum atque pedum, qui nullibi, nisi ipsis Epiphysibus sunt implantati. Ita etiam clavi quidam in pedibus aut ipsis articulationibus insident, aut ad minimum in confinio earum hærent, ubi Epiphyses etiam sunt in proximo.

8. Ipsam carnem mutari in Callum, testatur Binninger. ~~quoque Marchetti~~, Obs. x. Cent. I. p. 12, ex ore Marchetti. Callus autem facile abit in cartilaginem, et cartilago in ipsissimum os. Id quod notissimum, sicuti legitur in Observationum Scriptoribus.
~~Hildan~~. Centur. III. Obs. 77.
Ruysch. Thes. Anatom. X. Tab. III.
Kerkring. Osteogenia.
Haller. Memoir. sur la formation des os.

9. Celeberrimus du Hamel ex Periosteo intumescente, producto ac indurato Callos progenerari ac procrescere statuit, multis experimentis institutis, inductus. Sicuti istud ab ipso adstruitur in Memoir. de l'Acad. Royal. des Scienc. Anno 1739. 41. 42. et 1743. 1737

Haec sententia nova habebatur, et directa est contra illos, qui ex succo nutriente, per ossa mobili, et ex ipsis ossium fractorum fibris ac vasis ruptis effluente ac indurescente confici Callos, arbitrati sunt. Inter quos Dominus ejus

19.
b.

conterraneus Petit ipse est.

Sed ex mente mea quidem, una sententia non tollit alteram. Atque in hoc meo casu utramque sententiam conjungere necesse est. Nam ex vasis humoriferis solis adeo longum os effluxisse vix est probabile; et nullum periosteum, secundum naturam, sine vasis esse potest.

Ex Pathologicis autem constat: Quod partes inflammatae saepissime concipiant indurationem, seu, quod idem est, abeant in Scirrhos. Jam in hoc meo casu adfuit Inflammatio sine dubio. (c. l. d.) non solum ossis ipsius, sed etiam, et potissimum Periostei. Ergo magis probabile est: ex Periosteo Scirrhoso, contracto, collapso, ac corrugato os istud exemtum esse regeneratum ac restitutum, interfluente simul ex vasis variigeneris humore vario, ac irrigante novam ossis plantationem ac germinationem.

His igitur ita se habentibus

ad (1.)
Facile erit atque claram edicere: Qua ratione os nostrum humeri elongatum nuper eradicatum ex Epiphysibus utrisque relictis potuerit restitui in integrum completissimum. Scilicet: Postquam os intermortuum exemtum fuit, particulae humorum quorumcunque mucilaginosae ac gelatinosae, alias nutritionis ac augmenti causa affluentes, sub forma guttarum, gemmularum, aut minimarum glandularum, aut utcunque nominaveris, ex poris Epiphysium et Periostei emicuerunt, et collecta sufficiente quantitate ac materia, ad molem ossis amissi necessaria, exsiccatae, formam et figuram cum soliditate, firmitate ac duritie, assumserunt. Num rotunditas, glabrities, et in genere omnis elegantia pristini ossis plenarie redierit, asserere non audeo; Interim, dum Epiphyses remanserunt integrae, quibus vasa varia, et,

(Periosteo et

Periosteum [hocum quidem] collapsum ac corrugatum est; deinde e vasis variis

(cavitas medulla repleta,

aut capita, aut caudae musculorum implantantur, musculi ipsi non sunt mutilati, neq; nervi lacerati; ideo, regenerato antea osse humeri oblongato, motus etiam hujus partis restitui potuit in integrum, ac redire, instrumentis omnibus ita redintegratis.

ad (m.)

Medicorum diversi de possibilitate hujus casus dubitabant, donec ipsis os ipsum evulsum considerandum exhibebatur; siquidem mihi ipsi suspectus fuisset, nisi [illegible] oculos meos et manus ipsas adhibere licitum fuisset. Atq; ut omne dubium tollatur, exhibeo

Ossis exempti accuratissimam Effigiem veram ea vera,

Os est hoc humeri, in longitudine, crassitie ac figura, uti extractum â Chirurgo erat, exhibitum; igitur neminem dubitaturum fore, quin istud integrum

Fig. I.




Fig. II.

Blessing. del.

sit. ~~Praesentat~~ autem.
Figura I. Latus unum anterius.
Figura II. Latus alterum posterius.
Numerus in Figura utraq; designat
1. Locum et partem superiorem, ubi cum Scapula ac osse clavicula articulationem fecit in statu naturali; ex qua verò regione diversae festucae, majores minoresve a Chirurgo diversis vicibus erant defractae, atq; extractae. Unde tanta lacuna!
2. Est regio atq; pars inferior, ubi cum capitulo aut Epiphysi, quae cum ulna et radio articulationem constituere solet, cohaesit.
Dum hic locorum nihil fuit separatum ab osse, ideo facies et figura remansit ferè integra, praeter paucas inaequalitates, quibus in laudata Epiphysi ingestum ac insertum, implantatum fuit os elongatum, aut corpus ita dictum.

3. Monstrat cariē inguinalam et pure conspurcatam regionem.
4. Significatur ariditas, siccitas et asperitas ossis, et quod suo perioateo fuerit denudatum.

Postquam superiora chartae jam erant injecta, ecce! mittitur mihi Disputatio, Jenae habita, cui Celeberrimus ibi Chirurgiae Professor, Dn. D. Kaltschmid, diversorum Principum Consiliarius in Aulis et Camera intimus programma praemisit, sub inscriptione: de Parte ossis humeri exstirpata, brachio tamen post consolidationem integram servante longitudinem. Cum igitur casus in ipso relatus cum nostro superiore conveniat et conveniret, non potui non istius verba transscribere, quae ita sonant: Puella undecim annorum (n.) ex arbore procera in humum delapsa ossis humeri fracturam ita patitur, ut corpus a capitulo (o.) remotum, 1.) tribus fissuris manus longitudinem (p.) superantibus finderetur; 2.) duorum digitorum latitudine per vulnus (q.) prominerent. Jenam intra duarum spatium horarum,

(E mense hujus anni Martio,

vulnere non tecto, delata, frigus experta, intra paucos dies (r.) ~~spem consolidationis~~ tantam corruptionem sive cariem ossis humeri sentit, ut pessimum spargeret foetorem. Prima quidem deligatione os, decenter repositum, ac vulnus balsamicis munitum, (s.) spem consolidationis non omnem rejecit, ubi aegra ab omnibus libera symptomatibus constanti animo se gerebat. Injuriis autem aëris in itinere expositum per vulnus protrusum os tantam post alios dies patitur corruptionem, ut consolidationis spes omnis evanesceret. Repositum igitur os successive iterum removere coepi. (t.) ita tamen, ut fracti corporis ossis cacumen, ut adhuc tertiam partem jinctum relinquerem, (u.) quo brachium superius longitudinem servaret. Balsamicis interim injectionibus per aliquot septimanas institutis, donec lamina cartilaginea (x.) nova a postica par-

te adsurgentis, capituliq cum inferiori frusto, ubi festuca hiatum reliquerat, unientis tantam sensi duritiem, ut corrupta pars ossis ulterius pro fulcro inservire superfluum putarem. Iam ossis humeri, quæ capitulum tetigerat, partem superiorem pollicis latitudine toto ambitu, interioremq partem quatuor digitorum longitudine, quousq nimirum corruptio pergebat, resecabam. (y.) Ubi intra 14. dies hiatum ossis cartilagine optime repletum (z.) sensi, febricula accedebat, erumpentibus, quarto ab hinc die, variolis. Ita tamen balsaminis os et nova cartilago motem gerebat, ut nulla ulterius corruptio curam turbaret, variolarumq periodis optime superatis, post 18. septimanarum spatium superatum, vulneris consolidationem pateretur, brachium omnem servaret motum, nec minimum in longitudine defectum commonstra-

ret, restituaq[tur] in integrum sanitate puella domum posset reverti. Haec sunt Celeb. Kaltschmidii; cui quandam explicationem et resolutionem addere non placuit! Ergo meditationes meas subjicere, et comparationem cum superiori meo casu instituere erit licitum. Addo igitur

ad (n.)

Aetas pueriles eadem fere est, ac in meo puero, in qua omnes partes adhuc crescere et augeri debent, ac ipsius naturae viribus etiam possunt. Siquidem etiam lapsus ex alto eadem ratione contigit, ac in nostro casu; hac tantum cum differentia: quod hic solum fuerit mollius, in meo autem pavimentum durius. vid. notab.! In isto potius fieri possunt Fissurae, quam Fracturae transversales.

ad o.

Expresse hic denominatur Fractura, ut corpus a capitulo remotum fuerit. Quod Celebert. Autor hic denominat Corpus,

ego superius appellavi partem ossis humeri oblongatam, vid (6.) et capitulum ego denominavi Epiphysin.

ad (p.)

Fissa igitur fuit pars remota â capitulo, nostro sensu, oblongata, sine dubio triplici rima in festucas divisa.

ad (9.)

In juniori hoc subjecto os istud oblongatum majorem longitudinem habere non potuit. Ergo per totum istius corpus fuit fissum, et fluctuaverant festucæ. Adfuit simul Vulnus, per cujus aperturam festucæ vacillantes eximi potuerunt, ut non opus fuerit, exitum novum parare, removendis festucis cariosis necessarium; quod in nostro autem Ægro requirebatur. vid. (f.)

F. si Epiphysis epicipiuntur.

ad (r.)

Memorabile est, quod ossa â communione vasorum sejuncta, et libero âeri, ipsiq; frigido, exposita, parvo temporis spatio corruptionem recipiant, quorum

pus magis saniosum, teterrimum foetorem spirat. Deinde emergit cautela chirurgica: Sub deligatione omni studio a vulneribus arcendus aër, et potissimum frigidior.

ad (s.)
Exercitatus et prudens Chirurgus omnia prius tentat, antequam aegrum parte quadam sui corporis privat, meliora semper sperando; spe vero decollante nullius amplius parcit, ex merito, ne deteriora sequantur. Ideo ossicula illa ex vulnere prominentia in deligatione prima cum prudentia reposita, evanescente vero spe consolidationis, quoque sapienter remota sunt. Quem in finem

ad (t.)
Ista versus vulnus promovere coepit Artifex; ut scilicet evelli aptius possint, mediante forcipe apprehensa.

ad (u.)
Excellentissimus Autor opinari videtur:

Haud integrum os oblongatum humeri, sed partem tantum ex medio, forte per quandam contritionem, esse effractam! Res in occulto acta est, et adhuc agitur! Mihi autem contrarium arridet, et fractum aut fissum; remotum, detritum a capitello utroq; (vid. not. k. nr. i.) imo in festucas solutum ac divisum fuisse integrum istud os oblongatum, ‡ ut nil nisi Epiphyses, superior inferiorq; fuerint relictæ! Idq; ex ipsa natura ac forma ossis concludo. Nam vulgari ex osse nudo fracto nihil novi propullulat, quo longitudo servari, aut amissum restitui posset, sed mox indui solet tunica, et clauduntur pori; quod vero ex Epiphysibus, omnis generis vasis gaudentibus sperari ac expectari potest. Praeterea humus sub arboribus mollior est; unde non facile fractura, aut contritio ossium, potius fissura accidere potest.

‡ censeo,

(ad W.)

Ex breviori hoc tempore cognosci-
mus: quam salutare sit, si mox in
læsionum principio, vulneribus et
fracturis succurritur debitum
in modum, antequam scilicet par-
tes læsæ sphacelosæ aut cariosæ
labi subjiciantur. aut Chirurgus
ipse modum et qualitatem læsio-
nis perspiciens, sui quid sit officii
instruere, non nescit. Atqz in
hoc solummodo differt hic casus à no-
stro superiore. Nam si nostro ægro
mox post perpessam læsionem contu-
sionis, cataplasmata discutientia ca-
lida, et similia unguenta aut emplastra,
applicata fuissent, intermissâ nefariâ
illa extensione, forte tam Inflammatio,
quam exulceratio et caries potuissent
averti, et membrum integrum servari;
quippe pars ossis humeri oblongata
non fuit fissa, sicuti in hoc præsenti,
sed integra; sicuti effigies monstrat,

ideoq ibi multo facilius quoq fuisset negotium curationis.

ad (x.)

Jam celeberr: Autor in nostram sententiam descendit: dum laminæ cartilagineæ novæ assurgentis à parte postica mentionem facit. vid. nota ad K. nr. 4.5. et nota l.

ad (y.)

Intelligo: Festucam carie desessam, atq ideo mortuam, ex vulnere adhuc eminentem à cartilagine vitali excrescente esse depulsam atq ejectam, ut potuerit resecari, aut alia ratione removeri.

ad (z.)

Admirandum certe in modum natura operari solet, ætate simul ac arte suffulta, quibus adjutricibus pericula maxima sæpe solent superari! Siquidem hic neq variolarum febris istud potuit impedire, neq turbare curam corruptio ista valuit. conferatur nota k. et l.

Epicrisis.

1. Intra XVI. septimanarum spatium absoluta est adeo memorabilis cura, ita, ut brachium integrum non solum servaverit actionem, sed etiam in longitudine nullus supermanserit defectus: Ergo procul dubio novum plane os humeri fuit regeneratum, haud secus, ac in meo superius recensito casu; idque ex Epiphysibus propullulavit (1). Mira hæc res est, sed, germana fides! certissima, eoque magis miranda: quod in partibus solidis duris, plane osseis, contigerit!

Fidque integrum atque completum,

Ex Periosteo cirrhoso consolidatum.

2. Si ex analogia partium mollium glandulosarum et musculosarum aliquid conferre licitum est, de interna intestini recti tunica, seu crusta villosa decorticata, bina exempla recurrunt in memoriam, unum de hæmorrhoidario juvene 24. annorum, alterum de foemina post partum difficilem observatum. Juvenis doloribus dorsi, torminibus ventris, etiam puncturis, cum adstrictione alvi vexabatur; igitur

aliquot clysteribus emollientibus inje-
ctis eruumpebat exano simul cum faecibus
tubulus membranoseus, instar partis
intestinorum tenuium seu farciminis, sed farciminis,
cavus, pedis unius longitudinem habens inflatus.
Foemina zzamorum, uxor aurigae tempo-
re primae ingravidationis ex dolore in-
testini recti male se habebat. Appro-
pinquante partionis tempore mirum
in modum à doloribus ad partum torta,
tandem insigni cum vi protrudit caput
infantis integrum. Obstetrix per horas
16 omnes intendit nervos ad puerperam
liberandam, sed nihil efficere valens, me
vocat in consilium et auxilium. Ego
obstupescens, quod jam exclusso capite corpus
infantis non posset extrahi, manum ipse
admovebam. Sed puerpera quendam la-
borem circa os coccygis, uti praescribitur
in arte obstetricia, admittere nolebat,
ob crudeles dolores, uti conquerebatur,
sed mori malebat. Cum igitur infans jam
longe exspiraverat, caput aperui, cere-
brum eliminavi, et integrum caput ab-

scidi. Quo facto reficiebam: capillarum unam ossi pubis, alteram sacro incumbere, ad hærere, ac impediri. Ergo effluere omnem sanguinem ex vasis majoribus sini, truncum infantis retrasi, ut liberandis capillis spatium daretur, collapso foetu; cujus tandem alterutro brachio apprehenso integrum corpus extrahebam simultaneo ausu. Secundinæ non minus ac lochia feliciter sequebantur, doloribus nihilominus in ano, et adstrictione alvi perdurantibus. Et ecce! applicatis aliquot clysteribus erumpebat notabilis purulenti sanguinis quantitas; et ultimo tubulus membranaceus, in forma supra jam descripta, quem mulieres mihi illum ostendentes appellabant ein Kalldaunigen i. e. intestinolum, [partem hanc pro intestino integro habentes; igitur mirum in modum anxiæ.] Hoc, quid quæso aliud fuit, nisi tunica interna, seu crusta villosa intestini recti, glandulis et vasis sangiferis numeris, quæ hæmorrhoidalia vocantur, scatens, à suppuratione interfossa, labefactata, ac tandem à copia puris defurbata, et foras dejecta? Id quod forma ac longitudo tubuli abunde probat.

uterque patiens per aliquot dies sensatio-
nem tristiorem, veluti ab intertrigine
sauciata, potissimum sub excretione al-
vi faecum aridarum, sustinebat; quare
clysteribus ex lacte cum melle et oleo
lini ipsis succurrebatur; quibus brevi
in integrum sunt restituti, et jam anno
50. sunt proximi, salvi et incolumes vi-
tam degentes.
Sit igitur possibile est: Quasdam
corporis partes corruptas, et ideo eradi-
catas, â natura bene operante posse re-
stitui, restaurari, ac regenerari; tales
tamen sint, necesse est, quae ad vitam non
absolute necessaria habentur, ac ita collocatae sitae et
compositae sunt, ut corruptum possit
eliminari foras, si intra corpus tale
quid contigit; sed si externè accidit, uti
in spina ventosa in pedum, et Panaritiis
in manuum digitis evenit, regeneratio fru-
stra expectatur, potius in extirpatione
Epiphysios corruptae et articuli sphacelosi
salus consistit. Ense recidendum est deper-

ditum, ne pars sincera, integrum membrum, trahatur in calamitatem. Atq; hæc talia à causa interna oriuntur, sanie humorum, charactere putrido insignitorum, huc, ad spongiosam Epiphysium substantiam delata.